



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quellen zur Geschichte des Augustinerchorherrenstifts Frenswegen

Löffler, Klemens

Soest, 1930

II. Die ältesten Urkunden

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67957)

II.
Die ältesten Urkunden.

Graf Bernhard von Bentheim verkauft das Erbe Eynoldynck zum Zwecke der Gründung eines Augustinerchorherrenstiftes und erteilt diesem Privilegien. 1394 Januar 17.

Wy Bernd, greve to Benthem, vor uns, vor unze ervende unde anervende doet kundich allen luden unde bekennet in dessen apenen breve, dat wy myd guden willen unde vulbort Kerstiens, unzes broders, hebbet vorcoft unde vorcopet rechttes vastes stede ervecopes hern Everde van der Eze, kercheren tot Almelo, hern Hinrike Krulle, kercheren to Scuttorpe, Johanne Monnike, eyne borgher to Scuttorpe, unde Rembert van Gore, eyne borgher to Zwolle, eyne erve unde hues, dat gheheten ys Eynoldynck, belegghen in den kerspele van Northorne in den Vrendeswede, myd torve, myd twyghe, myd water, myd weide unde myd aller slachter noet unde myd aller older unde nyger tobehoringhe vor eyne summe gheldes, de uns deggher unde al wytlike unde wal tot unsen willen betalet ys, myd alzodanen vorworden, dat her Everd, her Hinrich myd eren ghezellen vorg. moghen tymmeren ende bouwen up dat vorg. erve in de ere unde dat lof godes ende Marien, zyner leven moder, eyne cloester, dar ynne moghen denen gode canonike, gheheten regulares van zunte Augustinus orden, unde ander gheestlyck unde gotlike lude, to welcken cloester wy eder unze ervend eder anervenden zolen ze dar nynerhande wys an hynderen, men em beholplyc wesen dar to na al unser macht, ende wy vriggen myd dessen openen breve dat vorg. guet unde closter myd al zyner rechten tobehoringhe vor uns unde unze nakomelinghe van schattinghe unde van denste, coslach unde noetbede, alze dat wy unde unze ervende^{a)} nynerhande recht hyr ynne geweldighet eder reserveret in dessen vorg. cloester in lenescap eder in personen dar in to zettene eder presenteren, men de zal kesen de overste van den closter na rade der

a) *Im Original wiederholt: alze dat wy unde unze ervende.*

ghemennen brodere, de dar ynne zynt, unde dat zal wesen eyn gotlic persone, de gode denen wil. Unde wy Bernd, greve to Benthem vorg. vor uns, vor unze ervende unde anervende lovet hern Everde, heren Hinrike unde eren ghezellen vorg., desses vorg. erves rechte warscap to done vor al de ghene, de des to rechte komen willet zunder yenigherhande argelist und nyge vonde. Vortmer zo gheve wy den vorg. canoniken des vorg. cloesters van unzer herlichet weghene eynen seghen ganc in den Vrendeswele. unde hebbet des to tughe al desse vorg. puncte unde^{a)} unze zeghel an dessen brief ghehanghen. Unde ich Kerstien, broder to Benthem, wente all desse vorg. puncte myd mynen willen ghescheen zynt, zo hebbe ich myn zeghel um bede willen mynes broders tot eyner meren vestnisse an dessen brief ghehanghen. Unde ich Arnd van Guterswyc als eyn anervend der herscap van Benthem, wente al desse vorg. dync myd mynen willen zynd ghescheen, zo hebbe ich myn zeghel mede an dessen brief ghehanghen. Datum anno Domini M^oC^oC^o nonagesimo quarto ipso die beati Anthonii confessoris.

Original mit drei Siegeln im Fürstlichen Archive zu Burgsteinfurt.

Der Abdruck bei Jung (vgl. oben S. 2, Anm. 1) beruht auf einer Abschrift und enthält zahlreiche Abweichungen.

2.

Bischof Otto von Münster bestätigt die Gründung Frenswegens und ordnet seine Verfassung. 1394 Mai 1.

In nomine Dei Amen. Otto de Hoya, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Monasteriensis. Cum de consensu dominorum decani et capituli nostri Monasteriensis nec non Hinrici de Buren, archidiaconi in Northorne, aliorumque prudentium virorum ob honorem Dei et cultum nominis sui gloriosissimi ampliandum meminimus nos licentiam concessisse dilectis nobis in Christo Bernardo, comiti in Benthem, Everhardo, plebano in Almeloe, Henrico Crul, plebano in Scuttorpe, nec non eorum coadiutoribus fundandi oratorium in comitia de Benthem in loco dicto Vreendeswede, sito in parochia de Noerthorne nostrae dio-

a) *Im Original gestrichen, dann unterpunktirt und in Klammern gesetzt.*

cesis ac instituendi ibidem collegium canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, etiam nos eorum devotioni pie annuentes pro meliori ordinis ac regulae suae rigore conservando volumus eis privilegia concedere opportuna. Praedicti igitur, Bernardus comes, Everardus et Henricus supradicti, eorumque adiutores hac freti licentia nostra et favore oratorium fundaverunt collegiumque canonicorum regularium instituerunt dictumque collegium competenter dotaverunt cum cunctis bonis et redditibus infrascriptis, videlicet cum curte dicta Eyneldinc [!] cum omnibus suis attinentiis, iuribus et obventionibus, cum quodam campo dicto Hynrikincamp et piscatura dicto campo adiacenti et supra ampliori gratia Bernardi comitis saepedicti adhuc facienda. Et idcirco nos foundationem dicti oratorii, institutionem collegii et ipsius loci dotationem gratas et ratas habentes eas auctoritate nostra ordinaria in Dei nomine confirmamus decernentes locum ipsum ecclesiastica emunitate ac libertate gaudere. Et quia loci ipsius incrementum divina faciente gratia pio desideramus affectu, locum ipsum cum personis inibi divino cultui sub regulari ordine mancipatis et postea mancipandis eorumque familiaribus nec non omnibus bonis suis habitis et habendis sub protectione sedis nostrae Monasteriensis et nostra speciali suscipimus. Insuper nos eorum devotioni, conscientiae puritati et paci providere Dei auxilio cupientes volumus, quod praelatus superior, qui fratribus dicti collegii seu monasterii pro tempore praeesse debeat, prior vocetur et existat. Cuius electionem et confirmationem sic decernimus faciendam, videlicet quod prior primus et omnes ac singuli priores subsequentes dicti monasterii, quotienscumque prioratus huiusmodi vacaverit, scilicet per voluntariam et liberam eiusdem prioris resignationem aut decessum aut alias per legitimam eiusdem prioris depositionem, quod tunc fratres dicti monasterii possint libere et canonice eligere in locum cedentis vel decedentis aut legitime depositi personam idoneam de capitulo ipsius monasterii in priorem eiusdem monasterii, sic tamen, quod nullus ibidem qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi assensu vel fratrum maior pars consilii sanioris secundum Deum perviderint eligendum. Quem tunc sic canonice electum nobis aut nostris successoribus episcopis Monasteriensibus et capitulo nostro per duos fratres discretos ex parte capituli huius pro confirmationis munere obtinendo volumus praesentari, quem nos aut nostri successores episcopi Monasterienses totiens, quotiens opportunum fuerit,

propter fratrum dicti monasterii pacis tranquillitatem et expensarum alleviationem Dei et pietatis intuitu confirmabimus gratiose et hoc ideo, quia prior dicti monasterii nobis et nostris successoribus episcopis Monasteriensibus suberit immediate fratresque dicti monasterii pro tempore omnes et singuli sint et semper esse debent sub oboedientia et disciplina prioris praedicti seu superioris per ipsum debite deputandi. Ac idem prior secundum regulam dicti ordinis seu statuta et consuetudines monasterii visitationem et correctionem in fratres, donatistas et conversos, etiam si aliquorum excessus carceris intrusionem seu custodiam exigant, in loco habeat antedicto, ita tamen, quod in gravibus excessibus eorundem corrigendis consilium sui conventus prius requirere teneatur. Et ad eum pertinebit fratrum, donatarum et conversorum receptio, investitio et professionum ab eisdem acceptio, sic tamen, quod neminem recipere aut investire aut professionem ab aliquo recipere debeat sine consensu fratrum seu maioris partis consilii sanioris secundum Deum. In ceteris omnibus et singulis prior praedictus habeat talem et tantam potestatem in suis subditis, qualem et quantam alii priores vel praelati cuiuscunque nominis eiusdem ordinis de iure communi dinoscuntur habere. Item ne praefatus prior nimio gravetur onere, debet et potest ex dictis fratribus dicti monasterii de consilio fratrum vel maioris partis consilii sanioris secundum Deum suppriorem constituere illumque destituere et alium de novo creare totiens, quotiens videbitur expedire. Qui supprior priore absente, cedente aut decedente habebit in omnibus plenariam potestatem prioris usque ad eius redditum seu alterius prioris legitimam electionem et confirmationem. Advertentes etiam, prout saepius repertum est, magnos et devotos viros, qui summe erant utiles ad praeessendum his, quae animas et divinum officium concernunt, minus fuisse utiles ad gerendam curam temporalium et ad illa debite gubernandum, ut igitur eo liberius et attentius priores quicunque dicti monasterii collegio et eius personis in his, quae divinum officium et spiritualia concernunt, vacare poterunt a nimia temporalium cura, quae forsitan eos a cura spiritualium nimis distraherent, cupientes aliquantulum relevare, statuimus et ordinamus, quod singulis annis in perpetuum prior et conventus dicti collegii seu ipsi fratres conventum facientes, si priorem non habuerint, seu si prior absens fuerit, in ebdomada prima post octavas paschae die competenti simul conveniant conventualiter et ibidem eligant unum ex fratribus suis, quem

secundum rectas eorum et cuiuslibet eorum conscientias vel maioris partis consilii sanioris secundum Deum ad hoc magis idoneum et monasterio magis utilem crediderint, in receptorem et dispensatorem bonorum dicti monasterii, qui ab eis vocabitur procurator, cuius officium solum per annum propter huiusmodi suam assumptionem immediate sequentem durabit. Officium quoque cuiuslibet huius procuratoris pro tempore debet esse, ut quilibet huiusmodi procurator per annum suum vice et in relevationem prioris pro tempore dicti monasterii curam et sollicitudinem gerat de omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus et quibuscumque aliis bonis temporalibus dicti monasterii et illos vel illa per se ipsum seu de consensu sui prioris et conventus per quemcumque alium idoneum a singulis debitoribus eorundem debitis temporibus exigat vel exigi faciat et a solventibus recipiat, insuper recepta in debitas et consuetas utilitates monasterii vel personarum eiusdem secundum laudabilem consuetudinem per se vel per alium expendat, super inconsuetis et insolitis expendendis, dum occurrerint, priorem et fratres consulat et ipsis consultis secundum eorum iussiones faciat, ut sic singulis annis aut infra annum, quotiens et quando requisitus fuerit a priore et conventu, de receptis et expositis legitimam atque laudabilem rationem seu computationem, sicut decet fidelem et prudentem dispensatorem, de singulis reddere valeat, et ut sic completo officio suo et reddita computatione sua annuali in eadem ebdomada praedicta, videlicet prima post octavas paschae die competenti post factam computationem iidem prior et conventus vel dictum procuratorem vel alium de dictis fratribus modo praemisso singulis annis eligant, qui ad praemissa omnia adimplenda erit effectualiter obligatus. Item concedimus dicto priori et fratribus et conventui liberam potestatem, quod quemcumque invenerint huiusmodi procuratorem pro tempore, quod Deus avertat, in suo officio male versantem, negligentem seu alias insufficientem aut contra priorem vel fratres cervicem erigentem, quod extunc illum adhuc infra annum officii sui deponere poterunt et alium idoneum instituere loco sui. Nec tamen prior aut procurator pro tempore dicti monasterii coniunctim vel divisim vendendi vel locandi seu quovis modo alienandi bona mobilia sive immobilia dicti collegii ullam penitus sine expresso consensu dicti sui conventus aut maioris partis consilii sanioris secundum Deum habeant facultatem. Qui tamen prior et procurator de consensu et consilio fratrum et conventus vel maioris partis con-

silii sanioris secundum Deum in huiusmodi habebunt plenariam potestatem. Etiam volumus, quod a nemine coram quocumque iudice quovis modo impetantur nisi tantummodo coram nobis et nostris successoribus episcopis Monasteriensibus aut coram capitulo ecclesiae nostrae Monasteriensis salvo tamen iure sedis apostolicae, cui semper tenemur et volumus oboedire. Insuper concedimus priori, fratribus et personis ibidem degentibus, ut in loco praedicto liberam habeant sepulturam sepeliendi ibidem fratres et personas eosdem [!], qui ibidem diem clauserint extremum, ac alios, qui in eodem loco sepulturam duxerint eligendam, iure tamen ecclesiarum parochialium in electione sepulturae huiusmodi semper salvo nec non ministrandi eisdem fratribus, familiaribus et hospitibus utriusque sexus, quotiens fuerit opportunum, ecclesiastica sacramenta statuentes, ut locus et collegium praedicti perpetuo subsint priori memorato, qui ibidem fratres et sorores familiares et commensales confitentes per se vel per alium fratrem idoneum dicti conventus de peccatis sibi confessis possit absolvere ac eis pro modo culpa poenitentias salutes iniungere. Et quia constat collegium saepedictum non posse proficere in spiritualibus incrementis sine salutaribus et rationabilibus constitutionibus et regularibus disciplinis, etiam ne novella plantatio leviter per negligentiam patiatur ruinam, volumus et facultatem in Domino committimus priori et fratribus supradictis, ut constitutiones laudabiles ac rationabiles et iuri consonas de consilio fundatorum supradictorum et aliorum discretorum virorum pro religionis et ordinis praedicti disciplina regulari conservanda, prout regioni, loco et tempori et personis secundum Deum ac rectae et discretae rationis iudicium dinoscitur convenire, ordinent, constituent ac scripto commendent, ut sic fratres praesentes et futuri inibi degentes religiosius unanimiter et concorditer secundum regulam eorundem conversantes Domino famulentur tamquam spiritualis pulchritudinis amatores. Item damus et concedimus dictis fratribus eandem gratiam, modum et formam in horis canonicis tam legendis quam cantandis, quem [!] prior totusque conventus in Windesim assueti sunt observare. Acta fuerunt haec in oppido nostro de Horstmare praesentibus ibidem venerabilibus ac discretis viris decano Monasteriensi, domino Hermannno de Monasterio, canonico apud summum, domino Nycolao Brunewyc, vicario in Scuttorp, Nycolao de Beveren, Johanne Voet, Johanne de Beveren, Johanne Kerkerinc, proconsule Monasteriensi, et quam plurimis aliis fidedignis testibus Monasterien-

sis diocesis ad praemissa vocatis et rogatis. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum, quo in magnis et arduis negotiis utimur, una cum sigillo capituli nostri Monasteriensis nec non Hinrici de Buren archidiaconi praedictorum his literis duximus impendendum. Anno Domini M^oCCC^o nonagesimo quarto die prima mensis Maii.

Original im Fürstlichen Archive zu Burgsteinfurt. Von den drei Siegeln (Bischof, Domkapitel, Archidiakon) nur das mittlere erhalten.

3.

Papst Bonifatius IX. gestattet Frenswegen den Anschluß an die Windesheimer Kongregation und befreit es von jeder Oberaufsicht und Jurisdiktion des Bischofs von Münster. 1400 Febr. 29.

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui monasterii Nemoris beatae Mariae iuxta Northorn per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Monasteriensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Pro singulorum fidelium, praesertim religiosarum personarum statu salubriter dirigendo et etiam conservando, prout ex debito iniuncti nobis pastoralis officii tenemur, sollicite considerationis intuitu extendentes ad ea, quae directionis et conservationis huiusmodi causam praebeant effectivam, libenter adhibemus sollicitudinis nostrae partes. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum sanctae Mariae in Windesim et sancti Johannis Baptistae in Oemsteyn ac fontis beatae Mariae prope Arnhem necnon Novaelucis prope Horn per priores solitorum gubernari, ordinis sancti Augustini, Traiectensis diocesis, monasteriorum, priorum et conventuum nobis exposito, quod olim ipsi pie et iuste attendentes, quod, quia in diversis mundi partibus quamplura monasteria fraterna visitatione caruerant, in progressu sanctae religionis ac in debita et regulari disciplina notabiliter perierant, et cupientes huiusmodi ipsorum monasteria in laudabili et debita observantia conservari ac scandalis et periculis, quae verissimiliter exoriri possent, salubriter obviare cupientes statuerant et etiam se invicem colligando ordinaverunt, quod singulis annis capitulum generale per priores et conventus eorundem monasterio-

rum celebraretur, et superior ac omnes alii priores eorundem monasteriorum cum ipsorum conventibus eidem capitulo oboedire tenerentur, prior vero eiusdem monasterii sanctae Mariae in Windesim esset et manere deberet superior eorundem, nisi propter notabilem utilitatem vel necessitatem dictorum monasteriorum in duobus capitulis generalibus continuis omnes diffinitores concorditer eandem superioritatem cum privilegiis suis ad aliud monasterium sive aliam domum ipsius ordinis ducerent transferendam, et quod in eodem capitulo nominarentur electores diffinitorum, et diffinitores huiusmodi eligerentur ad instar capitulorum generalium per priores et fratres ordinis Cartusiensis alias celebratorum, qui quidem diffinitores haberent una cum superiore priore praefato plenariam potestatem statuendi, corrigendi et reformandi, quae secundum Deum pro conservatione religionis et ordinis sancti Augustini praedictorum melius et utilius viderentur expedire, ac quicquid ab eis omnibus vel saltem a maiori parte ipsorum concorditer diffinitum foret seu statutum, publicaretur et diligenter tam a praelatis quam a subditis primo anno observaretur, secundo vero anno eadem statuta examinarentur ac in tertio approbarentur, si approbanda viderentur, et si ea approbari contingeret, de cetero plenam haberent in omnibus eorum monasteriis firmitatem, ita tamen, quod huiusmodi statuta quemquam ad culpam minime obligarent, sed ad poenam, nisi ea, quae in contemptum dicti ordinis sancti Augustini transgredi praesumeret. Et insuper statuerant et ordinaverant, quod singuli priores dictorum monasteriorum per se aut per suas literas absolutionem officiorum prioratuum eis commissorum in generali capitulo petere annis singulis tenerentur, primo prior superior ab antiquiore priore, post eum et subsequenter omnes a superiore priore, et deinde fieret tractatus de absolutione singulorum priorum, quodque praefati diffinitores, in quantum eis videretur, huiusmodi priores et eorum quemlibet a regiminibus dictorum monasteriorum absolvere possent et conventibus ipsorum monasteriorum significare, et quod conventus monasterii sic priore carentis vocatis duobus aliis prioribus monasteriorum eorundem, qui electioni huiusmodi interessent, alium sibi priorem eligere valerent, dictaque electio per praefatos duos priores confirmari deberet, quae forma electionis et confirmationis etiam observanda esset in obitu vel resignatione seu depositione cuiuscumque prioris alicuius monasteriorum eorundem. Si vero conventus aliquis monasteriorum eorundem ex aliqua

causa iure eligendi ipsis priorem, cum casus vacationis adesset, privati existerent, electio et confirmatio huiusmodi ad generale capitulum, si commode differri posset, alioquin ad ipsorum superiorem priorem immediate devolveretur. Praeterea prior, qui pro tempore foret, cum suo conventu singulis annis super eisdem monasteriis ac domibus eiusdem ordinis in casibus, qui ad capitulum generale commode differri nequirent, illam auctoritatem et potestatem haberet, quam haberent praedicti diffinitores, dum capitulum generale huiusmodi celebraretur, et quod nulli ipsorum ad aliquem praeterquam ad superiorem priorem vel generale capitulum liceret appellare, dictique diffinitores ordinarent visitatores, qui nomine dicti capituli singula monasteria et domos dicti ordinis iuxta formam eis ab eodem capitulo traditam cum potestate corrigendi excessus tam in capite quam in membris visitarent, quodque in omnibus monasteriis ac domibus eis colligatis vel subiectis aut in posterum subiciendis, cuiuscumque diocesis essent, in divino officio unanimiter servarent secundum ordinarium ecclesiae Traiectensis demptis quibusdam historiis specialibus, quas Romana curia noscitur non servare, et additis resecatisque quibusdam aliis secundum quod diffinitores capituli generalis religioni ac devotioni omnium ipsorum iudicarent convenire. Ac nobis humiliter supplicato, ut statutis, colligationi et ordinationibus huiusmodi robur apostolicae confirmationis adicere ac quod, si aliqua monasteria dicti ordinis sancti Augustini in posterum construi contingeret et statutis, colligationi et ordinationibus praedictis voluntarie se submitterent, privilegiis supra dictis quatuor monasteriis concessis gaudere possent, concedere dignaremur, nos colligationem, statuta et ordinationes praefata rata habentes et grata illa auctoritate apostolica per alias nostras literas¹⁾ confirmavimus et eadem auctoritate concessimus, quod, si in futurum aliqua alia monasteria eiusdem ordinis sancti Augustini construi de novo contingeret et huiusmodi statutis, colligationi et ordinationibus liberaliter et voluntarie se submittere velent, ut praefertur, gauderent privilegiis illis, quibus praedicta quatuor monasteria quomodolibet gauderent et gaudere possent, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, monasterium vestrum, quod noviter fundatum extitit et constructum, ex ipsius fundatione huiusmodi ecclesiae Monasteriensi subesse ac institutio et destitutio prioris dicti monasterii ad episcopum Monaste-

¹⁾ Vom 16. Mai 1395, abgedruckt bei Acquoy Bd. 3 S. 303—305.

riensem pro tempore existentem pertinere dinoscantur, vosque sollicitate considerationis intuitu praemeditantes, quod domus sive monasteria dicti ordinis aliis religiosis domibus sive monasteriis eiusdem ordinis non colligata seu subiecta fraterna et opportuna visitatione destituuntur et ab observantia regularis disciplinae deviando ut plurimum in progressu sanctae religionis miserabiliter desolantur nec possunt, ut verisimiliter colligitur, debita perseverantia stabiliri, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vos et dictum monasterium vestrum ab omni dominio, visitatione, iurisdictione, correctione et potestate episcopi et ecclesiae Monasteriensis praedictorum eximere vobisque, ut vos et monasterium vestrum praedictum sanctae Mariae in Windesim et sancti Johannis Baptistae in Eemsteyn ac fontis beatae Mariae prope Arnhem necnon Novaelucis prope Horn monasteriis eorumque capitulo generali ac statutis, colligationi et ordinationibus antedictis submittere et illis privilegiis gaudere possitis, quibus eorundem quatuor monasteriorum priores et conventus praefati gaudent seu gaudere possent, concedere de benignitate apostolica dignaremur, nos vestrum pium propositum in hac parte plurimum in Domino commendantes huiusmodi supplicationibus inclinati vos ac monasterium vestrum praedictum ab omni dominio, visitatione, iurisdictione, correctione et potestate episcopi et ecclesiae Monasteriensis praedictorum auctoritate apostolica tenore praesentium prorsus eximimus et perpetuo liberamus vobisque auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, quod quatuor monasteriis eorumque capitulo generali ac statutis, colligationi et ordinationibus supradictis vos et monasterium vestrum praedictum submittere libere valeatis quodque post submissionem eandem omnibus privilegiis uti et gaudere libere possitis et debeatis, quibus eorundem quatuor monasteriorum priores et conventus praefati gaudent seu quomodolibet potiuntur, praedicta fundatione ac constitutionibus apostolicis nec non statutis et consuetudinibus et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos insuper exnunc irritum decrevimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum II. Kalendas Marcii pontificatus nostri anno undecimo¹).

Original mit Bleibulle im Fürstlichen Archive zu Burgsteinfurt.

Der Abdruck von Wüstenhoff (vgl. S. 37 Anm.) beruht auf einer mangelhaften Abschrift.

4.

Frenswegen dankt Windesheim für die Aufnahme in die Windesheimer Kongregation und unterwirft sich für immer dem Generalkapitel. 1400 Juli 8.

Patribus dilectissimis Johanni, priori domus beatae Mariae in Windesem, et, qui sub eius regimine Christo militant, fratribus prior et conventus domus Nemoris beatae Mariae iuxta Northorn salutem et pacem a Domino sempiternam. Quia tandem assensum praebuistis, ut ad domum vestram una cum ceterorum domorum prioribus et fratribus opportuno tempore convenire possimus, vobiscum de his, quae ad observationem regulae et constitutionum nostrarum nec non ad correctionem stabilitatemque propositi nostri pertinere videntur, diligentissime tractaturi non solum concedimus et laudamus, sed etiam cum ingenti gratiarum actione suscipimus. In omnibus igitur, quae ad tenorem et stabilitatem communis propositi nostri et ad observantiam regulae et constitutionum nostrarum pertinent, sicut communis capituli consilio decretum fuerit, subicimus et tradimus domum nostram eidem capitulo in perpetuum corrigendam et conservandam. In cuius subiectionis testimonium has litteras sigillo conventus nostri fecimus communiri. Anno Domini millesimo quadringentesimo mensis Julii die octavo.

Zwei Transsumpte im Fürstlichen Archive zu Burgsteinfurt.

¹) Diese Bulle wurde am 1. Oktober 1414 vom Kardinallegaten Peter von Cambrai bestätigt.

